



3 1761 07799906 8

L
P648
.YL

Pindar
Theban Cycle

1. Theban Cycle
2. Theban Cycle
3. Theban Cycle



(NATALICIA

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I

IMPERATORIS GERMANICI

AB

UNIVERSITATE FRIDERICA GVILELMIA RHENANA

DIE XXII MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXXXVII

IN AVLA MAGNA HORA XI PVBLICE CONCELEBRANDA

INDICVNT

UNIVERSITATIS BONNENSIS

RECTOR ET SENATVS)

*Inest EDVARDI LVEBBERTI commentatio de Pindaricorum carminum
compositione ex Nomorum historia illustranda.*

BONNAE

APVD MAX. COHEN ET FILIVM (FR. COHEN)

339732
2. 7 37

1. De tibia in cultum Delphicum et ludos Pythios in primae Pythiadis
sollemnibus recepta.

Parva fuit specie, sed re vera permagna illa in sacris Delphicis traditi antiquitus moris mutatio, qua post Crisaeum bellum finitum et Craugallidas (Aeschin. adv. Ctes. §. 107; Harpocrat. s. v.) devictos Amphictyonum decreto anno Ol. 48. 3 = 586 a. Chr. tibiae usus tam in Delphicum Apollinis cultum, quam in ludos Pythios receptus est. Huic conatui ut ius aliquod et excusatio praetexeretur, inter theologumena Delphica novum hoc dogma propagatum est: Apollinem iam iam inveteratum et celebratum illud odium, quo tibiae prae cithara contempserit, deposuisse; quod Corinna poëtria postea ita exornavit, ut Apollinem ab Minerva, cum omnium artium, tum tibialis etiam inventrice, tibia canere edoctum esse, diceret; Plut. mus. 14: ἡ δὲ Κόριννα καὶ διδασθῆναι φησι τὸν Ἀπόλλω ὑπ' Ἀθηνᾶς αὐλεῖν. Itidemque Alcman Apollinem libenter tibiae flando se oblectantem finxerat; Plut. ibid.: ἄλλοι δὲ καὶ αὐτὸν τὸν θεὸν φασιν αὐλῆσαι, καθάπερ ἴστορεῖ ὁ ἄριστος μελῶν ποιητῆς Ἀλκμάν. conf. Paus. II, 22, 9. Atque cultui quidem Apollinis (nam de ludis Pythiis res pervolgata) tibiae accessisse ea potissimum res documento est, quod in sollemni illa et sanctissima pompa, qua ineunte nova Ennaeteride nova semper lauri virga ex Tempe Thessalicis Delphos adportabatur, puero illi ἀμφιθαλεῖ, qui Apollinis personam sustinebat, tibicen in itinere faciendo accinebat; Plut. mus. 14: ἀλλὰ καὶ τῷ κατακουίζοντι παιδὶ τὴν Τεμπικὴν δάφνην εἰς Δελφοὺς παρομαρτεῖ αὐλητῆς; adde Aelianum, Var. hist. III, 1 extr.: καὶ τὴν ὁδὸν ἐκείνην ἔρχονται, ἣ καλεῖται μὲν Πυθιάς, φέρει δὲ διὰ Θετταλίας καὶ Πελασγίας καὶ τῆς Οἴτης καὶ τῆς Αἰνιάνων χώρας καὶ τῆς Μηλιέων καὶ Δωριέων καὶ Λοκρῶν τῶν Ἑσπερίων. οὗτοι δὲ καὶ παραπέμπουσιν αὐτοὺς σὺν αἰδοῖ καὶ τιμῇ. Hanc viam, quam olim Cycnus Iatrociniis suis infestaverat (Hesiod. Scut. 480), ἱερὰν ὁδὸν vocat Plut. Quaest. Gr. 12. conf. eundem de Def. or. 15.

Hic igitur tibiae ad pompam Septerii Ennaeterici flandae usus eodem illo Amphictyonum decreto, quo ludi Pythii tibini quoque facti sunt, haud dubie institutus est. Nam notum est, summa illis temporibus apud Amphictyones auctoritate Eurylochum Thessalum floruisse. Is in illo bello Crissaeo, quod itidem ut Troicum decem annorum fuit, tanquam alter quidam Achilles ab inferis exortus celebratus est. Elegantissimi ea de re sunt Euphorionis ex carmine ignoto versus ap. Schol. Pind. Argum. ad Pyth. p. 298 Boeckh (Meineke, Anal. Alex. p. 95): ὀπλοτέρου δ' Ἀχιλλῆος ἀκούομεν Εὐρυλόχοιο, || Δελφίδες ᾧ ὑπο καλὸν Ἰήϊον ἀντεβόησαν, || Κρίσαν πορθήσαντι, Λυκωρέος οἰκία Φοῖβου. Quid igitur verisimilius, quam Eurylocho potissimum auctore et impulsore (ἐπ' Εὐρυλόχου διέταξαν ait Strabo IX, 421 med.) pompam illam, qua Deus cum cultoribus suis primum Delphis ad

Tempe, deinde e Tempe rursus Delphos se conferret, novo splendore instauratam et exornatam esse? Nec ab hominis militari ingenio alienum erit, si eum agmini illi sacro, longam viam pedibus facienti, tibiam comitem addidisse putemus, qua sonante corpora et animi euntium recrearentur.

2. Tibiae in sacris Apollinis usus quam antiquus fuerit Deli et Lacedaemone.

Delphis igitur in sacris Apollinis tibiam inde a prima Pythiade pari iam paene loco atque citharam esse coepisse, certum est. Quaeritur deinde, quid in *Deliis* sacris sancitum fuerit. Veterum testimonia si contemplere, tibia ibi valde vetusta videri possit; nam Hyperboreorum sancta munera (Herod. IV, 33; Paus. I, 31, 2) cum tiliarum et fistularum cantu adferri et accipi solebant, Plut. mus. 14: καὶ τὰ ἐξ Ὑπερβορέων δὲ ἱερά μετ' αὐλῶν καὶ σὺρίγγων καὶ κιθάρας εἰς τὴν Δῆλόν φασὶ τὸ παλαιὸν στέλλεσθαι. Deinde statua Apollinis Delphica in manu sinistra trium Gratiarum simulacra gestabat, quarum una tibias pro insigni habebat; Plut. ibid.: ἐν δὲ τῇ ἀριστερᾷ χάριτας τῶν τῆς μουσικῆς ὀργάνων ἐκάστην τι ἔχουσιν. ἡ μὲν γὰρ λύραν κρατεῖ, ἡ δ' αὐλούς, ἡ δ' ἐν μέσῳ προσκειμένην ἔχει τῷ στόματι σύριγγα. Sed haec posterioris demum temporis inventa videntur; in hymno Apollinis Delii Homericō, quo loco musicae artis memoria celebratur: v. 162 πάντων δ' ἀνθρώπων φωνὰς καὶ κρεμβαλιαστῶν || μιμείσθ' ἴσασιν, nulla est tibiae mentio. Unde suo iure Volkmannus ad Plut. de Mus. p. 98, 36 de tibiae tam vetusto ibi usu subdubitat.

Spartae porro quando in Apollinis cultu tibia civitatem nacta sit, vix est quod multum ambigamus. Thaletas Gortynius, qui inter Gymnopaediarum, quae anno Ol. 28, 4 = 665 institutae dicuntur, potissimos exornatores numeratur (Plut. mus. 9), tibiae iam cantum egregie excoluit; Plut. mus. 10 de eius inventis: ἐκ γὰρ τῆς Ὀλύμπου αὐλήσεως Θαλήταν φασὶν ἐξεργάσθαι ταῦτα καὶ δόξαι ποιητὴν ἀγαθὸν γεγονέναι. Is creticum rhythmum in Graeciam attulisse dicitur; Plut. ibid.: καὶ Πάϊωνα καὶ Κρητικὸν ῥυθμὸν εἰς τὴν μελοποιίαν ἐνθέναι· οἷς Ἀρχίλοχον μὴ κεκρῆσθαι, ἀλλ' οὐδ' Ὀρφέα καὶ Τέρπανδρον. Huic cretico rhythmorum generi quam arcta cum tibia potissimum necessitudo intercedat, luculenter nuper Hermannus Usenerus noster in libro elegantissimo: Altgriechischer Versbau p. 118 docuit, qui ostendit ad tibiae demum sonos per auctiorem moram continuatos syllabas productas ita cani potuisse, ut, id quod in citharae fides non cadat, et humanae vocis et instrumenti musici cantus temporum spatiolis prorsus inter se exaequantur. Thaletae vero artem musicam potissimum Apollini sacratam fuisse, iam ex Cretica viri origine manifestum est. Sequitur Alcmā, cuius vitae flos inter Ol. 30, 4 et 42, 2 (Eusebius; Syn-cellus p. 402, 6 ed. Dind.) incidit, qui in tibiae modis iuxta citharam excolendis Thaletae exemplum imitatus est. Dixit de eius in hac re meritis docte et eleganter Bergkius, Hist. Litt. Graec. II, 238. Ex carmine Apollinem celebrante illud haud haud dubie sumptum est, quod Plutarchus mus. 10 tradit, Alcmānem deum ipsum tibia canentem finxisse.

3. De tibia eximia cuiuslibet rerum gestarum generis imitatrice.

His expositis opus fuerat, ut viam nobis muniremus ad modorum tibinorum in ludis Pythiis usum illustrandum. Narrat igitur Pausanias X, 7, 4 rem posteritatis memoria dignissimam: Amphictyones post Crisaeos debellatos in ludis Pythiis denuo et maiore etiam splendore constituendis ad citharodicum agonem aulodica et tibiatarum assarum certamina adiecisse: ἄθλα ἔθεσαν οἱ Ἀμφικτυόνες κιθαρωδίας καθὰ μὲν ἐξ ἀρχῆς, προσέθεσαν δὲ καὶ αὐλωδίας ἀγώνισμα καὶ αὐλῶν. Victorum quoque primorum novem, qui in hoc assarum tibiatarum certamine per novem Pythiades primas vicerunt, nomina ad immortalitatem servata sunt. Primis tribus Pythiadibus Sacadas Argivus naviter decertando laurum sibi peperit; sequentibus vero sex proxumis Pythocritus Sicyonius. Paus. X, 7, 4 ἀνηγορεύθησαν . . . αὐλωδός . . . Ἐχέμβροτος, Σακάδας δὲ ἐπὶ τοῖς αὐλοῖς. ἀνείλετο δὲ ὁ Σακάδας οὗτος καὶ ἄλλας δύο τὰς ἐφεξῆς ταύτης Πυθιάδας et Paus. VI, 14, 10: Σακάδας μὲν γὰρ τὸν ἀγῶνα τὸν τεθέντα ὑπὸ Ἀμφικτυόνων οὐκ ὄντα πω στεφανίτην καὶ ἐπ' ἐκείνῳ στεφανίτας δύο ἐνίκησε, Πυθόκριτος δὲ ὁ Σικυώνιος τὰς ἐφεξῆς τούτων Πυθιάδας ἔξ, μόνος δὲ οὗτος αὐλητής. Ac de Sacada quidem suavissima quadam fama narrabatur, eum, quae fuerit eius in tibia flanda praestantia, Apollinem ipsum, huic universo generi antea iratum, prorsus iam propitium tibiae modis reddidisse; Paus. II, 22, 9, quam famam venuste a Pindaro in aliquo carmine (cf. Paus. IX, 30, 2) enarratam fuisse, Hillerius coniecit in eruditissima de Sacada commentatione: Mus. Rhen. vol. 31 (1876), p. 79. Iam vero tibia inter Pythiorum ludorum delicias recepta eximium in modum aurium epulae multiplicatae sunt. Hoc enim artis musicae instrumentum manibus praestantissimorum artificum excultum tanquam callidissimus quidam Proteus tam ea, quae in rerum natura, quam quae in vita hominum cum aliqua concitatione et impetu fiunt, imitabatur. Tibiae nihil arduum erat. Eius cantilenae flexuosae et tortuosae quamlibet rerum speciem induere, et auditorum animos eum in modum afficere, ut auribus accepta etiam oculis conspiceret sibi viderentur, edoctae erant.

Huius eximiae tibiatarum artis, qua omnium rerum imagines sonis suis adumbrabat, nunc specimina nonnulla adferre utile fuerit. Minerva Nomum Polycephalum ita invenisse traditur, ut sibilos serpentum ex Medusae capite amputato eminentium, tibia exciperet et imitaretur, unde nomen ille nomus accepit: Schol. Pind. Pyth. XII, 15, p. 421: τούτου τοῦ συριγμοῦ κατακούσασα ἡ Ἀθηνᾶ τοῦ ἐκ τῶν ὄφρων προσρινομένου πρὸς μίμησιν τοῦ θρήνου (Medusae sororum) καὶ τοῦ ἐκ τῶν ὄφρων ρινομένου συριγμοῦ ἐπενόησε τὴν αὐλητικὴν. ἦν καὶ ὠνόμασε πολυκέφαλον νόμον. Pind. Pyth. XII, 8: οὐλίον θρήνον διαπλέξαις Ἀθᾶνα, τὸν παρθενίους ὑπὸ τ' ἀπλάτοις ὄφιων κεφαλαῖς || αἶε λειβόμενον. Alcibiades porro cum anno 408 Athenas rediret (Xen. Hell. I, 4, 18; Plut. Alc. 34), in imperatoria nave per Piraeum progrediente tibicinem Chrysogonum constituit, qui τὸ τριηρικὸν caneret, quo cantu dubium non est, quin remorum et undarum planctus et lusus imitando expressus sit; Athenaeus XII, p. 535^d: ὡς δὲ ἐντὸς ἦν (τοῦ Πειραιῶς) καὶ τὰς κώπας ἔλαβον οἱ ἐρέται, Χρυσόγονος μὲν ἤλπει τὸ τριηρικὸν ἐνδεδικῶς τὴν Πυθικὴν στολήν.

4. De duobus Timotheis, Milesio et Thebano, summis in arte tibiali artificibus.

Summum deinde in hac mimetica tiliarum arte fastigium escendit Timotheus Milesius, nomorum et dithyramborum poeta clarissimus, qui saepe et libenter Timothei Thebani, eximii tibicinis, ope ad modos musicos rite exprimendos usus est. Cum Timotheum Milesium et nomos et dithyrambos scripsisse constet (conf. Suidam s. v.; Steph. Byz. p. 452, 16; et Ervinum Rohde, Mus. Rhen. 34, 573; Gomperz in Fleckeis. Ann. vol. 133, p. 772 sqq.), saepe haud facile dictu est, utri generi tituli, quorum mentio fit, adsignandi sint; nam amborum generum summa illis Timothei temporibus similitudo fuit. Timotheus igitur Milesius *Aiacem furentem* composuerat, in quo carmine tibiae, quae verbis accineret, eximias partes tribuerat. Ad eas igitur furoris et doloris scaenas accinens insignem plausum Timotheus tibicen sibi pepererat. Quanta eius praestantia fuerit, magnificis verbis enarrat Harmonides apud Lucian. Harm. 1: ὅτε καὶ σύ, ᾧ Τιμόθεε, τὸ πρῶτον ἐλθὼν οἴκοθεν ἐκ Βοιωτίας ὑπήλυθας τῇ Πανδιονίδι καὶ ἐνίκησας ἐν τῷ Αἴαντι τῷ ἔμμανεϊ, τοῦ ὁμωνύμου σοι ποιήσαντος τὸ μέλος, οὐδεὶς ἦν, ὃς ἠγνῶει τοῦνομα, Τιμόθεον ἐκ Θηβῶν. In *Scylla* quoque Timothei Milesii dithyrambo, quem partem fuisse maioris corporis *Odysseae* eius poetae recte ex testimonio Etymologici Magni p. 630, 42 collegisse mihi videtur Gomperz, Fleckeis. Ann. 133, p. 775 med., in *Scylla* igitur monstri eius in Ulixem et socios impetum tibiae cantilenis rem ad vitae veritatem colorantibus artifex reddiderat. Eorum modorum rapaci vi tibicines interdum ita accendebantur, ut dum altera manu tibiam tenent, manu altera, hilare dictu, coryphaeum, Ulixis partes canentem, veste corripent, quorum artificum pingue ingenium Aristoteles iure suo carpit, eadem opera aliam similem eorum consuetudinem perstringens; Arist. Poet. 26 p. 1461^b, 28: δῆλον ὅτι ἢ ἅπαντα μιμουμένη (μίμησις) φορτικὴ. ὡς γὰρ οὐκ αἰσθανομένων, ἂν μὴ αὐτὸς προσθῆ πολλὴν κίνησιν κινεῖται, οἷον οἱ φαῦλοι αὐληταὶ κυλιόμενοι, ἂν δίσκον δέη μιμείσθαι, καὶ ἔλκοντες τὸν κορυφαῖον, ἂν Σκύλλαν αὐλώσιν. Hoc vitium nimiae in rebus gestis exprimendis imitationis, quod φορτικὸν vocat Aristoteles, Andro quidam Catanaeus in artem auleticam introduxerat; Theophrastus ap. Athen. 1, 22^c: Θεόφραστος πρῶτόν φησιν Ἄνδρωνα τὸν Καταναῖον αὐλητὴν κινήσεις καὶ ῥυθμοὺς ποιῆσαι τῷ σώματι αὐλοῦντα. conf. Gomperz l. s. p. 772 extr.

Timotheus vero ut artem, cui nihil insuperabile esset, ostentaret, ne a turpibus quidem argumentis abstinuit; quo in genere est *Semclae parturientis* imago, quam peculiari ille sive nomo, sive dithyrambo persecutus erat. Dolores felicissimae heroinae, quae in mortis extremis convulsionibus Bacchum in lucem fudit, tibiae rursus flexionibus illustrati fuerant. Quod sane multis propter nimiam illam in natura pingenda fidem displicuit. Tibicini immanem in modum buccae inflandae erant; Dio Chrys. or. 77, p. 768 med.: (Ἀλκμέωνα) τὸ στόμα ἐμπλήσαντα καὶ τὰς γνάθους ἐκατέρας μόλις ἔξω βαδίζειν, ὡσπερ αὐλοῦντα τὴν τῆς Σεμέλης ὕδινά, γέλωτα καὶ θέαν . . . παρέχοντα. Stratonici quoque facetum dictum est, quo hoc genus musices naturam scilicet spirantis eximie castigavit; Athen. VIII, p. 352^a: ἐπακούσας δὲ τῆς Ὀδίνος τῆς Τιμοθέου, Εἰ δ' ἐργολάβον, ἔφη, ἔτικτε καὶ μὴ θεόν, ποίας ἂν ἠφίει φωνάς.

Cum igitur tantum iam tibia in rebus externis imitandis praestaret, multo maior et admirabilior eius vis erat, cum affectus aut describendos sibi aut excitandos proposuisset. Huius quoque rei pulchra testimonia in promptu sunt. Alexander Magnus cum Timotheum Thebanum nomum orthium auleticum in Minervam (is accurate a nomo orthio citharodico in Apollinem distinguendus est, de quo Suidas s. v. Ἀμφιανακτίζειν et Hesych s. v. ἀμφὶ ἄνακτα, conf. Westphal, *Metrik* II², 1868, p. 286) tibia canentem et modis illis hominum intima praecordia moventem audiret, tanquam lymphaticus et instinctu divino tactus exiit et nunc demum summa quaeque se animo volvere professus est; Dio Chrysost. or. I, p. 1: . . . τὸν ὄρθιον, τὸν τῆς Ἀθηναῶν ἐπικαλούμενον νόμον. καὶ τὸν Ἀλέξανδρον εὐθὺς ἀναπηδήσαι πρὸς τὰ ὄπλα τοῖς ἐνθέοις ὁμοίως. οὕτω σφόδρα ἐπαρθῆναι αὐτὸν ὑπὸ τοῦ μέλους τῆς μουσικῆς καὶ τοῦ ῥυθμοῦ τῆς αὐλήσεως. conf. Suid. s. v. Τιμόθεος^d.

5. De dramate sacro, quo caedes draconis in recurrentibus Ennaeoticis sollemnibus illustrata sit.

Haec omnia perlustrata unum clare demonstrant: minime pusillam et parvi ponderis rem Amphictyones aggressos esse, cum tibiae in ludis Pythicis, qui ad id temporis sola cithara contenti fuissent, locum concederent. Illa enim hospita, quae erat eius in animis hominum sursum deorsum flectendis vis, brevi ad principem in hominum studiis et favore locum se adscensuram ostendit. Ad hoc efficiendum plurimum una res profuit. Tibiae in ludis Delphicis statim ab initio magnificum et grande atque ad animos commovendos efficacissimum argumentum se obtulit: Apollinis cum Pythone monstro pugna, quae cum theologumenis Delphicis coniunctissima erat. Mos erat, ut in Septerii sollemnitate, nono quoque anno recurrente, in divini illius certaminis memoriam sacrum spectaculum (δρώμενον) ederetur: caedes draconis sub Apollinis telis expirantis. Post caedem draconis deinde Apollini vel puero illi, qui Apollinis instar adornatus erat, in Thessaliam fugiendum erat. Atque initio quidem in huius dramatis religionibus dubium non est, quin Python draco ut belua immanis ficta et informata fuerit (δράκαινα Hom. Hymn. Ap. Pyth. 122). Postea, Ephori ut videtur temporibus (Aug. Mommsen, *Delphica* p. 170 post med. et p. 171 med.) in illo certaminis simulacro pro dracone Pythone atrox et crudelis latro, Crii filius, Pytho et ipse vocatus (Paus. X, 6, 6), substitutus est, cuius filium etiam Aegem nomine Plutarchus, *Quaest. Gr.* 12 novit. Hac mutatione facta in illo quoque spectaculi apparatu fieri non potuit, quin nonnulla necessario mutarentur. In locum speluncae habitatio regia extruebatur, quam igne comburi moris erat, ut latronem inde pulsum Apollo sagittis interimere posset; Plut. de Def. or. 15: ἢ τε γὰρ ἰσταμένη καλιὰς ἐνταῦθα περὶ τὴν ἄλω δι' ἐννέα ἐτῶν οὐ φωλεώδης τοῦ δράκοντος χειά, ἀλλὰ μίμημα τυραννικῆς ἢ βασιλικῆς ἐστὶν οἰκίσεως: ἢ τε μετὰ σιγῆς ἐπ' αὐτὴν διὰ τῆς ὀνομαζομένης Δολωνείας ἔφοδος . . . Similia ex Ephoro tradit Strabo IX, p. 422 extr. conf. A. Mommsen, *Delph.* p. 206 sqq. et L. Weniger, *Religioese Seite der Pythien* (Vratislaviae, 1870) p. 31. Sed haec ad tempora posteriora pertinent, quibus antiquissimus de dracone occiso mythus, cuius intimus sensus ex altissimis sane pectoris humani recessibus petitus est (cf. O. Mueller, *Proleg.*

p. 305 et Doriens I², 323; de Wilamowitz. Isyllos p. 75; nostram diatribam in Pind. locum de ludis Pyth. Sicyon., Bonnae. 1883 p. 4), ab epigonorum ingeniis humilioribus et sublimitatis antiquae non iam capacibus debilitatus et extenuatus erat.

6. De Olympi, auletae antiquissimi, Epicedio in mortem draconis.

Iam igitur in prima illa post Crisaeum bellum Pythiorum sollemnitate hoc artificibus illis, quibus assis tibiis certandum esset, propositum fuit, ut mythum sanctissimum, Apollinis cum dracone pugnam, tibiae, omnium miraculorum procreatricis, voce et artificiis enarrarent. Qua in re unum notandum est. Hic tiliarum in eo argumento usus Delphis minime prorsus tunc novus et inauditus erat. Nam si ulla est narratiuncularum in hoc litterarum genere fides, iam aliquot decenniis ante Olympus ex Phrygia advena in sacris Delphicis tibia cecinerat. Eius vero cantus argumentum fuerat, — quale censes? Planctus de morte Pythonis draconis ab Apolline caesi: *Epicedium*. Res optimo testimonio Aristoxeni in Historiae musicae libro I nititur, atque harmoniae quoque genus memoriae traditum erat ἡ Λυδιστί, quae ad cantum lugubrem apta est (ἐπιτήδειος πρὸς θρήνον Plut. mus. 15). Plutarchus l. s.: "Ὀλυμπον γὰρ πρῶτον Ἀριστόξενος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Μουσικῆς ἐπὶ τῷ Πύθωνι φησιν ἐπικήδειον αὐλῆσαι Λυδιστί. conf. Ritschelium in commentatione de Olympo, Opusc. I, 264. Guhrauerus, der Pyth. Nomos p. 332 ingeniosissime statuit, hoc *Epicedium* ad sacras in cultu Delphico caerimonias tibia cantatum esse, nam distinguendum esse accurate inter tibiae in sacris caerimoniis usum et usum in ludis publicis hominum delectationi, oculis auribusque pascendis destinatis. Illum usum sacrum aliquanto antiquiorem fuisse. Olympi *Epicedium* illud optime cum reliqua Olympi memoria congruit, nam nomi quoque eius ἐπιτυμβίδιοι commemorantur, Pollux IV, 78: νόμοι δὲ Ὀλύμπου καὶ Μαρσίου Φρύγιοι καὶ Λύδιοι, ὁ δὲ Σακάδα νόμος Πυθικός . . . , καὶ Ὀλύμπου ἐπιτυμβίδιοι. Itaque threnorum quoque forma, opinor, nomica fuit, quod magnae utilitatis est ad Pindari compositionis leges recte intellegendas. Olympi Epicedium nomus est auleticus, assarum tiliarum, Clonas, aulodicorum nomorum auctor (Plut. mus. 3: Κλονάν, τὸν πρῶτον συστησάμενον τοὺς αὐλωδικούς νόμους), nomum Epicedium aulodicum composuit. Nam valde sane verisimilis est ingeniosa Westphalii coniectura, qua apud Plutarchum mus. 4 init. in enumeratione nomorum aulodicorum e litteris corrupte traditis τε καὶ δείος effecit: ἐπικήδειος, conf. Westphal. Gesch. der alten und mittelalt. Musik, I (Vratislaviae, 1864), p. 98 et eiusdem Plutarchi de Mus. editionem (Vratisl., 1865) p. 4 et 73. Guhrauer l. s. p. 332 extr. Volkmannus coniecit Τενέδιος, fretus proverbio "Τενέδιος ἀλητήγ", Steph. Byz. p. 615, 19 ed. Mein. Bergkius, Hist. Litt. Gr. II, 220 proposuit Ξένιος, collato Cratini fragm. 52 ed. Mein.

7. Pollucis locus celebratissimus IV, 84 de Nomi Pythici forma et dispositione.

Sed ab hoc Epicedio draconis prorsus diversus est ille Nomus tibialis, cuius argumentum Apollinis cum dracone proelium fuit, cui per eminentiam Nomi Pythici

nomen tributum est. Strabo IX, 421: προσέθεσαν δὲ τοῖς κιθαρωδοῖς αὐλητάς . . . , ἀποδώσοντάς τι μέλος, ὃ καλεῖται νόμος Πυθικός. De nomo Pythico post Boeckhium, de Metr. Pind. p. 182 hac nostra aetate duo viri harum rerum peritissimi data opera commentati sunt: Henricus Gulhrauer, der Pythische Nomos, Lips. 1876, in Fleckeiseni Ann. Supplementorum vol. VIII, p. 312 et Eduardus Hiller, Sakadas der Aulet in Mus. Rhen. vol. 31 (1876), p. 80. Iam eandem materiam cum denuo nunc excutimus, id maxime spectamus, ut ex hoc luculentissimo et celeberrimo exemplo, quae fuerit omnino nomorum dispositio et partium mutua ratio, quam accuratissime fieri possit, illustretur. Ac praestantissimus quidem et fide haud dubie dignissimus de nomi Pythici compositione testis Pollux est IV, 84, qui quinque nomi Pythici partes seu periodos, si cum Ricardo Volkmanno ad Plut. d. Mus. p. 110, 42 dicendum sit, ita distinguit, ut una, quae in medio posita fuerit, ipsum divini bellatoris cum serpente certamen continuerit, duae priores introitum in pugnam, duae posteriores victoriae rite celebrandae laetitiam. Tradit igitur Pollux l. s.: τοῦ δὲ Πυθικοῦ νόμου τοῦ αὐλητικοῦ μέρη πέντε, πείρα, κατακελευσμός, ἱαμβικόν, σπονδείον, καταχόρευσις. δῆλωμα δ' ἐστὶν ὁ νόμος τῆς τοῦ Ἀπόλλωνος μάχης πρὸς τὸν δράκοντα. Deinde eorum quinque nominum has explicationes adicit. Duae partes praeparationi destinatae deum ostendunt loca circumspicientem et monstrum lacessentem; Pollux: καὶ ἐν μὲν τῇ πείρᾳ διορᾷ τὸν τόπον, εἰ ἄξιός ἐστι τοῦ ἀγῶνος· ἐν δὲ τῷ κατακελευσμῷ προκαλεῖται τὸν δράκοντα. Tertia pars, τὸ ἱαμβικόν, ipsum certamen continens, una comprehendit tubarum sonitus et draconis dentium stridorem; Pollux: ἐν δὲ τῷ ἱαμβικῷ μάχεται. ἐμπεριείληφε δὲ τὸ ἱαμβικόν καὶ τὰ σαλπιστικά κρούματα καὶ τὸν ὀδοντισμὸν, ὡς τοῦ δράκοντος ἐν τῷ τοξεύεσθαι συμπρίοντος τοὺς ὀδόντας. In postremis duabus partibus deum conspiciamus primum libantem, deinde ad plenum et integrum triumphum agendum saltantem; Pollux: τὸ δὲ σπονδείον δηλοῖ τὴν νίκην τοῦ θεοῦ. ἐν δὲ τῇ καταχορεύσει ὁ θεὸς τὰ ἐπινίκια χορεύει. Quod ne quis in Apolline nimium miretur, ipse Iuppiter debellatis Titanibus saltando triumphum testatus est, quemadmodum sive Eumelus Corinthius sive Arctinus enarraverat; Athen. I, p. 22^c: Εὐμηλος δὲ ὁ Κορίνθιος ἢ Ἀρκτίνος τὸν Δία ὀρχούμενον που παράγει λέγων· Μέσσοισιν δ' ὤρχεῖτο πατῆρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

8. In Strabonis de Nomo Pythico testimonio IX, p. 421 maxime conspicuum est Timosthenis Rhodii, classis regiae praefecti, nomen.

Hae igitur partes singillatim nunc considerandae sunt, quoniam praeter testimonium apud Pollucem aliorum quoque testium divergentes paullulum definitiones aetatem tulerunt, quas in comparationem vocari oportet. Ac primum quidem media pars, quae totius dramaticae potissima haud dubie est, qua ipsum certamen enarrabatur, cum a Polluce vocetur τὸ ἱαμβικόν, Strabo IX, p. 421 aliam prorsus sententiam et de re et de nomine profitetur; nam is quoque loco illo celebratissimo nomum Pythicum explicandum sibi elegit. Atqui lectionem apud Strabonem traditam si sequamur, narratio eius haec erit: nomum Pythicum, qualem nunc describat, compositum esse a *Timosthene* regis Ptolemaei Philadelphi classis imperatore, qui portuum topographiam composuerit decem libris comprehensam;

Strab. l. s.: ἐμελοποίησε μὲν οὖν Τιμοσθένης, ὁ ναύαρχος τοῦ δευτέρου Πτολεμαίου ὁ καὶ τοὺς λιμένας συντάξας ἐν δέκα βίβλοις. Timosthenes inter clarissimos antiquae geographiae scriptores est. Eius de Portibus opere tam diligenter tantoque studio Eratosthenes in Geographiis usus est, ut apud nonnullos in suspicionem veniret, quasi aliena pro suis venditaret. Marcianus Heracleota in Periplo maris interni in C. Muellero: Geographi Graeci minores, Paris 1885, vol. I, p. 566 ait: Ἐρατοσθένης δὲ ὁ Κυρηναῖος, οὐκ οἶδα τί παθὼν, τὸ Τιμοσθένους μετέγραψε βιβλίον βραχέα τινὰ προσθεῖς, ὡς μηδὲ τοῦ προοιμίου τοῦ μνημονευθέντος ἀποσχέσθαι, ἀλλ' αὐταῖς λέξεσι κάκεινο τοῦ οἰκείου προθεῖναι συγγράματος. Patrocinated est Eratostheni, ut expectari potuit, Bernhadyus in Eratosthenicis p. 14 Marcianum ut calumniatorem carpens. Idque confirmatur inde, quod Strabo II, p. 92 med. Eratosthenem ab Timosthene in plurimis discrepasse tradit: ἔστι δὲ τοσοῦτον τῶν ἀμαρτανομένων . . . ὑπὸ τοῦ Ἐρατοσθένους τὸ πλῆθος καὶ ὑπὸ Τιμοσθένους (ὃν ἐπαινεῖ μὲν ἐκεῖνος μάλιστα τῶν ἄλλων, διαφωνῶν δ' ἐλέγχεται πρὸς αὐτὸν πλείστα), ὥστ' οὐκ ἄξιον ἠροῦμαι. Praeter "Portuum" illud decem librorum opus totidem libris περὶ νήσων scripsisse traditur ab Marciano l. s. p. 566, 13, quo sane loco C. Muellerus περὶ λιμένων pro περὶ νήσων restitutum volt. Deinde alius cuiusdam eiusdem auctoris tractatus memoria servata est, quo res mythologicas persecutus videtur; Schol. Apoll. Rhod. III, 847: Δαίραν μονογέ- νειαν] ὅτι δὲ τὴν Δαίραν Περσεφόνην καλοῦσι, Τιμοσθένης ἐν τῷ Ἑλληνικῷ συγκατατίθεται καὶ Αἰσχύλος ἐν Ψυχαγωγίᾳ ἐμφαίνει, τὴν Περσεφόνην ἐκδεχόμενος Δαίραν. Ex eodem "Excgeticis" opere Westermannus ad Vossium de Hist. graec. (Lips. 1838) p. 148 extr. testimonia quoque in Schol. ad Apoll. Rhod. II, 517 et 526 desumpta arbitratur.

9. Timosthenem Rhodium non ut artificem commemorari, qui Nomi componendis operam dederit, sed, id quod Guhraerus vidit, ut litteratum de Nomi Pythici compositione testem.

Sed ut ad nomen Pythicum apud Strabonem IX, 421 revertamur, quis sibi persuadeat, Timosthenem illum Rhodium classis regis Ptolemaei supremum praefectum (Τιμοσθένης ὁ Ῥόδιος, ἀρχικυβερνήτης τοῦ δευτέρου Πτολεμαίου ait Marcianus l. s. p. 565, 24) nomen illum Pythicum, quo draconis caedes celebraretur, re vera composuisse, quemadmodum est apud Strabonem: ἐμελοποίησε μὲν οὖν Τιμοσθένης? Hisce omnibus egregio acumine perpensis Henricus Guhraer in commentatione de nomo Pythico p. 315 a vulgari opinione recedens illud optime sibi persuasit: Strabonianae narrationis eum sensum esse, ut scriptor dixerit, non, quod vulgo arbitrantur, Timosthenem eius cantus tibialis artificem et auctorem fuisse, sed eum ut testem, qui de nomi Pythici antiquitatibus et compositionis norma exposuerit, adhiberi. Itaque lacunam primum in Strabonis verbis inesse, qua perierit eius musici nomen, qui nomen Pythicum iussu Amphictyonum ludos Delphicos celebrantium composuerit, *Sacadae Argivi*: quare ita suppleri verba mutila oportere Str. IX, 421: ἐμελοποίησε μὲν οὖν [Σακάδας]. cf. Guhraer p. 314.

In sequentibus instaurandis a viro praestantissimo paullulum recedo. Strabo ut profiteatur, hanc sese notitiam de Nomo Pythico Timostheni auctori acceptam referre,

perpusillo tantummodo supplemento inserto effici postet. Scribendum est: [ὡς] Τιμοσθένης, omisso, ut sescentiens, verbo dicendi. Deinde βούλεται ad Sacadam referendum est, qui, quemadmodum Strabo, Timosthenis vestigiis incedens, tradit, Apollinis adversus draconem certamen eo cantu celebrare "voluerit".

Ac recte Strabo vel Timosthenes potius utitur verbo βούλεται; nam licet admirabilis fuerit Sacadae ars, in tibiali musica ea, quae data opera res gestas imitatur, aliquid semper haud dubie interest inter "velle" et "posse", quod tali viro, qualis Timosthenes fuit, in vitae commercio et rerum difficultatibus multum iactato, premendum visum est. Hinc profecto illa censura explicanda est, quae latet in βούλεται. Locus igitur ita scribendus est: ἐμελοποίησε μὲν οὖν [Σακάδας, ὡς] Τιμοσθένης, ὁ ναύαρχος . . . βούλεται δὲ τὸν ἄρῳνα τοῦ Ἀπόλλωνος τὸν πρὸς τὸν δράκοντα διὰ τοῦ μέλους ὑμνεῖν. Vir eruditissimus Guhrauer, quoniam βούλεται ad Timosthenem refert, emendandum censet: ὑμνεῖσθαι, quod ingeniosum esse nemo infitiabitur, sed quo opus non est. Denique participium δηλῶν quoque in verbis sequentibus: ἄγκρουσιν τὸ προοίμιον δηλῶν Sacadam subiectum habet; subest his verbis sicut membris continuo sequentibus tacita nomi tibialis cum citharoedico comparatio. Cum in cantu ad citharam voce et verbis omnia maxime clara et perspicua sint, musicae tibiali, quae quidem res gestas pingere volt, omnia artificiose elaboranda sunt, atque magna auditorum intellegentia, dexteritate, emunctis profecto naribus opus est, ut omnia capiantur. Hoc est igitur, quod sibi formula volt: ἄγκρουσιν ὁ Σακάδας δηλοῖ τὸ προοίμιον. Nam δηλοῦν cum duplici accusativo constructum non est quod miremur, siquidem Sophocles O. C. 783 dixit: ὡς σε δηλώσω κακόν. Quae cum ita sint, planissime iam constare videtur, explicationes quinque illarum nomi Pythici partium, quae sequuntur apud Strabonem, eum mutuas sumpsisse ex Timosthenis aliquo opere, ac maxime quidem probabiliter ex eo, cui titulus fuit "*Exageticus*", quemadmodum iam suspicatus est Guhrauerus p. 316 extr.

10. Nomi Pythici pars media, apud Pollucem τὸ Ἰαμβικόν, qua specie fuerit.
Sacadas finxeritne draconem ab Apolline centum sagittis, an una
sola confossum.

Iam igitur ut singillatim Nomi Pythici partes examinemus, optimum erit a media parte, quae Omphalo nomorum citharodicorum respondet, initium capere. Eam partem, quam "*Iambicum*" Pollux vocat, Strabo κατακελευσµόν nuncupat, cum iambicam partem non omittat quidem, sed proxime demum post mediam collocet. Verba Strabonis sunt IX, p. 421 extr.: ἄγκρουσιν μὲν τὸ προοίμιον . . . ἄπειραν δὲ τὴν πρώτην κατάπειραν τοῦ ἄρῳνος, κατακελευσµόν δὲ αὐτὸν τὸν ἄρῳνα, ἴαυβον δὲ καὶ δάκτυλον τὸν ἐπιπαιανισµόν τὸν γινόμενον ἐπὶ τῇ νίκῃ μετὰ τοιούτων ῥυθμῶν. Sed huius narrationis auctor praestantissima rerum traditarum copia non bene usus est et ordinem pervertit. Quis enim quaeso non intellegat, κατακελευσµόν nullo modo posse ipsam pugnam et sagittarum grandines significare, quibus draconem deus confecit? Simili ratione tertius ille auctor peccavit, qui de Nomo Pythico rettulit (nam eis tribus auctoribus universam nostram de nomo Pythico notitiam niti, iam rectissime Boeckhius

cognoverat, de Metris Pindari p. 182), Schol. Pind. Pyth. arg. p. 297, qui "Iambicum", quae apud Pollucem potissima pars est, ad convicia tantummodo refert, quibus ante pugnam Apollo draconem lacessierit: ἱαμβον δὲ διὰ τὴν λοιδορίαν τὴν γενομένην αὐτῷ πρὸ τῆς μάχης· λέγεται γὰρ ἱαμβίζειν τὸ λοιδορεῖν. In hac igitur testimoniorum diversitate Pollux haud dubie omnes fidei et auctoritatis numeros habet. Iam igitur mediae partis nomine firmato, de argumento quaerendum est. Atque in universum quidem nulla dubitatio esse potest. Nam Sacadas, quem pro Pythici nomi aulectici parente haberi oportet, id sibi proposuerat, ut ferventissimis et concitatissimis tibiae modis atrocitatem illius proelii quanta maxuma posset peritia ad veritatem exprimeret.

Iam ad hunc rerum conexum illustrandum illud, opinor, aliquantum confert, quod Simonides Pythonem *centum sagittis* confixum ab Apolline narraverat, unde Apollini nomen *Hecato* obtigisset; Iulianus Epist. 24 p. 395^d Spanh. Σιμωνίδῃ δὲ ἄρα τῷ μελικῷ πρὸς τὴν Ἀπόλλωνος εὐφημίαν ἀρκεῖ τὸν θεὸν Ἐκατον προσειπόντι . . . διότι τὸν Πύθωνα τὸν δράκοντα βέλεσιν ἑκατὸν, ὡς φησιν, ἐχειρώσατο. Confiteor sane, in controversiam hoc vocari posse, utrum Sacadas in proelio tibiae voce describendo, uno atrocissimo teli ictu draconem confossum finxerit, an centum tela ad imaginis sublimitatem magis apta et efficacia iudicavit. Eustathius unius sagittae, eiusque letalis, notionem magis deo dignam iudicat; Eust. ad Iliad. α. 75, p. 52 Rom.: μυθεύεσθαι Σιμωνίδην, ὡς ἑκατὸν βέλεσιν ἀνεῖλεν ὁ Ἀπόλλων τὸν ἐν Πυθοῖ δράκοντα, δέον ὃν μιᾷ βολῇ νεκρῶσαι τὸ θηρίον· οὐ γὰρ ἀρετὴ τοξότου τὰ πολλὰ βάλοντα βλάψαι. conf. Simonid. Fragm. ed. Schneidew. p. 51; Bergk, Poet. Lyr. Gr. III¹, p. 398; nostram commentationem de Pindaro nomorum Terpandri imitatore, Bonnae, 1885, p. 16. Atque unum tantummodo vigorosissimum ictum auctor hymni Homericī celebrat v. 178: ὃς τῆγ' ἀντιάσειε φέρεσκέ μιν αἰσιμον ἦμαρ, || πρὶν γέ οἱ ἰὸν ἐφήκεν ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων || καρτερὸν ἢ δ' ὀδύνησιν ἐρεχθομένη χαλεπήσι || κείτο μὲγ' ἀσθμαίνουσα. Contra Callimachus, qui veterum nomorum curiosissimus scrutator fuit, sagittarum imbrem novit; Hymn. Apoll. v. 101: ἄλλον ἐπ' ἄλλω || βάλλον ὠκὺν οἰστόν. Ad sagittarum complurium impetus pulchre referrī possunt tubarum fragores, τὰ σαλπιστικά κρούματα apud Pollucem IV, 84; sagittae ex arcu volantis stridor et in altum penetrantis ictus his tubarum "*tarrantaris*", ut ait Ennius, optime illustrabatur, conf. Mommsenium, Delphica p. 194 med. et Volkmannum ad Plut. Mus. p. 73, 45.

11. De ea proelii cum dracone parte, quae *stridor dentium* vocatur.

Praeter tubas pars "Iambici" est ὁ ὀδοντισμός, de quo Pollux: ὡς τοῦ δράκοντος ἐν τῷ τοξεύεσθαι συμπρίοντος τοὺς ὀδόντας. Erat igitur inter huius imaginis artificia illud quoque, ut belua in praecordiis vulnerata sibilos ederet, potissimum in postremo proelio, cum letaliter icta tandem expiraret. In hac re diiudicanda Straboniani testimonii praestantia et utilitas luculenter apparet: is enim tradit, sibilos illos fistularum cantibus expressos esse; Strab. IX, 422 init.: σύριγγας δὲ (βούλεται δηλοῦν) τὴν ἐκλειψιν τοῦ θηρίου, μιμουμένων ὡς ἂν καταστρέφοντος εἰς ἐσχάτους τινὰς συριγμούς. Verbum καταστρέφειν "expirandi" significatu dilectum est Plutarcheae aetati, cf. Plut. Them. 31. Ad hanc nomi

Pythici scaenam expirantis cum sibilis draconis alludit Xenophontis iocus in Sympos. VI, 5, quod optime cognovit Hillerus, Mus. Rhen. vol. 31 p. 81, 82. Convivae ibi paciscuntur, ad tibiae cantus sermones habendos esse, quaeruntque, qui modi musici quibus sermonibus conveniant; pergitur: καὶ ὁ Καλλίας ἔφη· "Ὅταν οὖν ὁ Ἀντισθένης ὄδ' ἐλέγχη τινὰ ἐν τῷ συμποσίῳ, τί ἔσται τὸ αὐλήμα; καὶ ὁ Ἀντισθένης εἶπε. Τῷ μὲν ἐλερχομένῳ οἶμαι ἄν. ἔφη, πρέπειν συριγμόν. Hic locus duas facetias summa subtilitate coniungit. Nam primum συριγμός, quem dicit Antisthenes, cantum fistulae, quo extremi sibili expirantis draconis exprimuntur, significat; deinde verba: τῷ ἐλερχομένῳ πρέπειν συριγμός haud dubie ad irrisionem spectantium et audientium spectant, qua victum adversarium petere solent. Pervolgatus est is verbi συρίζειν usus; Demosth. de Cor. §. 265: ἐξέπιπτες, ἐρῶ δ' ἐσύριπτον. Plut., an seni gerenda sit resp. 23: Τιμόθεον Εὐριπίδης συριπτόμενον ἐπὶ τῇ καινοτομίᾳ . . . θαρρεῖν ἐκέλευσεν. Haec omnia si perpendamus, licebit fortasse nunc iam aliquam artis musicae, qua argumentum mediae partis enarrabatur, speciem informare. Huius vero atrocissimae pugnae argumento et sagittarum coniectui qui rhythmus magis quam iambicus convenire potuit? Iambus ipso nominis veriloquio rhythmus est "iaculatorius"; conf. Curtius, Etymol. Graec.³ p. 490. Atque de diceriis iaculandis Aristoteles quoque cogitavit, Poet. 4 p. 1448^b, 31: διὸ καὶ ἱαμβεῖον καλεῖται νῦν, ὅτι ἐν τῷ μέτρῳ τούτῳ ἱάμβιζον ἀλλήλους.

12. Illustrantur nomi Pythici partes ante ἱαμβικὸν positae: ἄγκρουσις, Πείρα, Κατακελευσμός.

Sed a media nomi Pythici parte, in qua vel difficillimis propositis haud imparem esse tibiam, Sacadas demonstraverat, nunc oculos convertamus ad partes superiores, quibus primi eius pugnae actus et certaminis exordium continebantur. Apud Pollucem IV, 84 quinque partium duae primae sunt πείρα et κατακελευσμός. Strabonis enarratio una parte in ipso limine ponenda auctior est; dicit ille p. 421: πέντε δ' αὐτοῦ μέρη ἐστίν· ἄγκρουσις, ἄμπειρα, κατακελευσμός, ἱάμβοι . . . σύριγγες. Addit igitur "Praeludium", ἄγκρουσιν, quam partem, quoniam ad pugnae cum dracone argumentum non necessario requiritur, Pollux omisit. Huius exordii aliud praeterea nomen usu scriptorum frequentatur: προαύλιον. Apud Platonem nomi in Minervam, orthii, opinor (conf. Dio Chrys. I, 1), hoc praeludium memoratur; Plat. Crat. p. 418 extr.: ποικίλα γέ σοι, ὦ Σώκρατες, ἐκβαίνει τὰ ὀνόματα. καὶ γὰρ νῦν μοι ἔδοξας ὡς περ τοῦ τῆς Ἀθηναίας νόμου προαύλιον στομαυλῆσαι. τοῦτο τὸ ὄνομα προειπών. Itemque ad *Proaulii* naturam et artem cognoscendam Aristoteles electissimam symbolam confert; Rhet. III, 14, p. 1414^b 19: ὅπερ ἐν ποιήσει πρόλογος καὶ ἐν αὐλήσει προαύλιον. Pergit deinde: quemadmodum in proaulio tibicines aliquid exhibere soleant, in quo virtutem suam auditoribus paullo iactantius commendent; ita in orationum epideicticarum genere in prooemiis oratores de rebus, quae cordi sibi sint, licet ad rem nihil magnopere faciant, disserere solere; cuius rei luculentum exemplum sit Isocratis Helenae prooemium; Arist. ibid. lin. 22: καὶ γὰρ οἱ αὐληταί, ὃ τι ἂν εὖ ἔχωσιν αὐλῆσαι, τοῦτο προαυλῆσαντες συνήσαν τῷ ἐνδοσίμῳ, καὶ ἐν τοῖς ἐπιδεικτικοῖς λόγοις δεῖ οὕτω γράφειν· ὃ τι γὰρ ἂν βούληται εὐθὺ εἰπόντα ἐνδοῦναι καὶ συνάσαι. ὅπερ πάντες ποιοῦσιν. παράδειγμα τὸ τῆς

Ἴσοκράτους Ἑλένης προοίμιον· οὐθὲν γὰρ οἰκείον ὑπάρχει τοῖς ἐριστικοῖς καὶ Ἑλένη. conf. R. Volkmann, Rhetorik der Gr. und Roem.², Lips. 1885, p. 319 med. De voce ἐνδόσιμον, quod est "prooemium", res pervulgata est; conf. Aristot. Polit. VIII, 5, p. 1339^a 13; et Photium in Lexico ed. Naber, II p. 104 s. v. προαύλιον] ὁ προενδιδούσιν οἱ ἀθληταί, οἷον προαύλημα, et s. v. προαύλια] προαυλήματα, ὡς προαμβολὰς καὶ προανακρούσεις. conf. Guhrauerum p. 346 extr.

Iam de partibus, quae sunt πείρα et κατακελευσμός, videndum. Ac πείρα quidem primum significat dei accessum: locum et latibulum draconis speculatur. In hieratica enim historia (ιερωῶ λόγῳ) et in Septerii caerimoniis huic appropinquandi conatui nomen fuit: ἡ Δολώνεια, unde vel deum immortalem caute in tam atroci monstro indagando egresse satis adpareret; ac recte quidem; nam secundum fabularum illarum ingenium, Apollo augurari potuit, quo animo Tellus dea caedem prolis suae latura esset; nam ea, licet invita, pepererat tamen Pythonem; Ovid. Met. I, 338: *Illa quidem nollet, sed te quoque, maxime Python, || tum genuit, populisque noxis, incognite serpens, || terror eras.* Itaque in πείρα primum loci exploratio continetur; non quidem, quemadmodum Pollux interpretatur: ἐν μὲν τῇ πείρα διορᾷ τὸν τόπον, εἰ ἄξιός ἐστι τοῦ ἀγῶνος, quasi speculetur, num oraculo condendo locus idoneus sit; sed hostis ubi et qualis sit, scire volt, quo confidentius eum adgrediatur. Deinde vero πείρα primam iam sagittam, a deo ad temptandum emissam, quasi oculis spectandam exhibebat, quemadmodum in Iliadis exordio primum telum in mulos et canes torquet. Hanc πείρας significationem Schol. Pind. arg. Pyth. p. 297 premit: πείραν μὲν, ὅτι ἀπεπειράθη τῆς κατὰ τὸ θηρίον μάχης. Strabo hanc partem ἄπειραν vocat explicans: ἄπειραν δὲ τὴν πρώτην κατάπειραν τοῦ ἀγῶνος. Recte monuit Guhrauerus p. 346, ἀνάπειραν esse artis vocabulum, quod praeludium significet, velut Plut. mus. 33 med.: ἡ . . ἀρμονία ἐν τῷ τῆς Ἀθηνᾶς νόμῳ πολὺ διέστηκε κατὰ τὸ ἦθος τῆς ἀναπείρας; itaque Strabonem errare videri. Sed excusatio homini parata videtur, modo reputemus: primam illam sagittam arcus temptandi caussa coniectam totius proelii, sagittis perficiendi, quasi praeludium fuisse. De parte proxima κατακελευσμῶ unice vera videtur Pollucis explicatio: προκαλεῖται τὸν δῖον, prodire eum ad pugnandum iubet; id deo bellatore dignum est. Quaeritur, quibus rhythmis πείρα et κατακελευσμός compositi fuerint. De πείρα nihil certi extricari poterit propter testimoniorum et indiciorum penuriam. In κατακελευσμῶ nomen indicium facere videtur; nam pedi *proccleusmatico* aliquam cum illo provocandi argumento affinitatem intercedere, res ipsa clamare videtur. Is numerus tibia expressus et elaborate ad scaenam quasi oculis subiciendam exsculptus, magnam ad commovendum vim habere debuit.

13. Postremae nomi Pythici partes: Σπονδείον et Καταχόρευσις. Pars quaedam, cui μητρώον nomen est, cuius testis auctoritate nitatur.

Cum igitur, quod valde dolendum, satis pauca sint, quae de nomi Pythici prioribus illis ante "Iambicum" partibus erui possint, aliquanto benignius horum studiorum Fortuna postremis partibus cognoscendis prospexit. Sunt autem duae potissimum, quae ab

auctoribus memorantur, quibus Apollinis triumphus et grata ob reportatam victoriam laetitia adumbratur. Nomina eorum, ut ita dicamus, dramatis musici actuum apud Pollucem sunt: σπονδείον et καταχόρευσις, hac definitione adiecta: τὸ δὲ σπονδείον δηλοῖ τὴν νίκην τοῦ θεοῦ. ἐν δὲ τῇ καταχόρευσει ὁ θεὸς τὰ ἐπινίκια χορεύει. Strabo non recte interpretis officio fungitur, cum post mediam partem ἰάμβους καὶ δακτύλους secutos esse tradit, eis enim hanc vim fuisse, ut Apollinis triumphum illustrarent: ἰάμβον δὲ καὶ δάκτυλον τὸν ἐπιπαιανισμὸν τὸν γινόμενον ἐπὶ τῇ νίκῃ μετὰ τοιούτων ῥυθμῶν, ὧν ὁ μὲν ὕμνοις ἐστὶν οἰκεῖος, ὁ δ' ἰάμβος κακισμοῖς. In his quae de iambicis rhythmis in ἐπιπαιανισμῶ collocatis docentur, confusione et errore laborant. De dactylis sane gratiae habendae Straboni sunt: nam cantilena illa, quae Polluci σπονδείον audit, hoc Strabonis testimonio talis iam ostenditur, quae non meris spondeis constiterit, sed dactylos largiter admixtos habuerit. Pars denique ea, quae apud Pollucem est καταχόρευσις, quibus numeris composita fuerit, egregia scholiorum ad Pindarum definitione intellegitur. Ad saltandum aptissimi sunt pedes cretici; eos nomi Pythici partem effecisse, docet Schol. Pind. arg. Pyth. p. 297, ubi varia in eo nomo numerorum genera enumerantur cum deorum nominibus coniuncta: Κρητικὸν δὲ ἀπὸ Διός. conf. Guhrauer p. 347 extr.

Sed ad hos postremarum partium numeros, spondiacos et creticos, aliud praeterea rhythmorum genus accessit, inventum illud sive iam a Sacada, sive, quod malim, post eius demum aetatem, cum credibile sit, nomum Pythicum progressu temporum paulatim ab artificibus ad maiora et ulteriora semper adspirantibus locupletatum esse. Scholiasta ad Pindarum p. 297 certae cuiusdam musicorum scholae disciplina imbutus talem nomi Pythici aulectici interpretationem nobis propinat, in qua diversae eius nomi partes, id quod ex metrorum ratione potissimum colligi possit, diversis numinibus, ac eis nominatim, quibus aliqua cum Apollinis Delphici religione necessitudo intercesserit, consecratae fuerint. Hoc licet nimium quantum perversum nobis videatur, aliquando tamen serio creditum est; Schol. Pind. p. 297 post med.: δάκτυλον . . ἀπὸ Διονύσου, ὅτι πρῶτος οὔτος δοκεῖ ἀπὸ τοῦ τρίποδος θεμιστεύσαι· Κρητικὸν δὲ ἀπὸ τοῦ Διός; iam tertio loco sequitur id, quod nunc maxime nobis cognitu dignum videtur: μητρώον δὲ, ὅτι Γῆς ἐστὶ τὸ μαντεῖον. Numeri Ionici haud dubie intelleguntur, hoc metrum μητρωακὸν nuncupatur apud Phephaestionem in Westphali: Script. metr. Gr. I (Lips. 1866), p. 39. conf. Guhrauer p. 349.

14. Apollini post draconem necatum Tellurem placandam fuisse. Eam Telluris comprecationis imaginem numeris ionicis (μέτρῳ μητρωακῶ) tibiae cantu expressam et adsimulatam esse.

Haec numerorum metroorum cantilena tibialis ubinam in nomo Pythico locum obtinuit? Id sane certissime, opinor, definiri potest. Apollini post monstri caedem Tellus dea placanda erat. Ea dracone, subole sua, interempto summo dolore exarserat. Pindarus in Paeane illo clarissimo in honorem Apollinis Pythii, memoriam Delphicam in his religionibus secutus, ita narraverat: Tellurem cum antiquissimam suam possessionem, oraculum Delphicum, a novicio deo sibi ereptam videret, hoc molitam esse, ut in Tartarum Apol-

linem deiceret: Schol. Aeschyl. Eum. v. 2: Πίνδαρός φησι πρὸς βίαν κρατῆσαι Πυθοῦς τὸν Ἀπόλλωνα· διὸ καὶ ταρταρῶσαι αὐτὸν ἐζήτει ἡ Γῆ. Euripides quoque Tellurem raptorī succensuisse dicit, Iph. Taur. 1269. Θέμιν δ' ἐπεὶ Γᾶς ἰῶν || παῖδ' ἀπενάσσατο [Λα || τῶος] ἀπὸ Ζαθέων || χρηστηρίων, νύχια || χθῶν ἐτεκνώσατο φάσματ' ὄνειρων, nam insomniis illis creatis Apollinis obscurare oracula et in oblivionem adducere Tellus studuit; Eur. ib. 1267. conf. A. Mommsenium, Delphica p. 169. Hanc igitur deam, oraculi ante Apollinem dominam, haud dubie consentaneum est Apollinem placare debuisse. Quare ei parti, quam τὸ σπονδεῖον Pollux vocat, qua animi serenitatem et tranquillitatem post grave et laboriosum certamen precationibus fuis redintegrare Apollo studet, optime convenit cantilena ad Tellurem matrem mitigandam et conciliandam conversa. Ea sane, quoniam numeris Ionicis composita erat, numerorum μεταβολὴν requirebat. Sed in hoc tibiae incomparabili et eximio opere saepius rhythmi variabant, ut minime mirum videri possit, si in re tam gravi, qualis erat Telluris ira placata, novo rhythmorum genere nova rursus et magni ponderis argumenti pars induceretur. Nec dubium esse potest, quin intellegentissimī harum rerum auditores hos numeros ionicos ad Tellurem, quam Apollo precatus sit, prompto semper iudicio et acumine rettulerint. His igitur stabilitis iam trium illorum auctorum ope, Pollucis, Strabonis, Scholiastae ad Pindarum, quinque partes sollemnes nomi Pythici constituere licebit, quarum haec nomina sunt: I πείρα, II κατακελευσμός, III ἱαμβικόν, quod σαλπιστικά κρούματα et ὄδοντισμόν sive σύριγγας comprehendit, IV σπονδεῖον, quo ὑπα μητρώον — quae est eius nomi ars elaboratissima — continetur, V καταχόρευσις creticis numeris concepta. Eis quinque partibus praeludium: ἄγκρουσις praemittitur, quod si accedat, fieri vix potest, quin in fine quoque particula, quae huic praeludio συμμέτρως respondeat, adiciatur; etenim hoc, quemadmodum recte animadvertit Guhrauer p. 345, antiquae artis legibus, harmoniae et symmetriae ubique fautricibus, flagitari videtur. Ac si Terpandri nomorum citharodicorum analogiam respiciamus (Pollux IV, 66), nomen quoque ei particulae paratum erit: ἐπίλοφος.

15. De nomo orthio aulético et nomo orthio citharodico.

Nomus igitur Pythicus tibialis clarissimum specimen est nomorum auleticorum; sed in eo nondum subsistere licet, quoniam praeter eum aliorum quoque non ignobilium eiusdem generis cantuum complurium memoria nobis servata est. Primum magna auctoritate floruit nomus *orthius* auleticus in Minervam. Nomen accepit ab alto et late sonanti cantu. Schol. Aristoph. Acharn. 16: ὁ δὲ ὄρθιος αὐλητικός νόμος οὕτω καλούμενος διὰ τὸ εἶναι εὐτονος καὶ ἀνάτασιν ἔχειν, ὡς δηλοῖ καὶ Ὅμηρος [Il. λ 10]: ἔνθα στᾶσ' ἤυσε θεὰ μέγα τε δεινόν τε || ὄρθι'. Eum nomum Dicaeopolis in Acharnensibus dicit se cum summa indignatione a Chaeride cantatum et illotis eius hominis manibus tractatum audisse, v. 16: διεστράφην ἰδῶν, || ὅτε δὴ παρέκυψε Χαίρις ἐπὶ τὸν ὄρθιον. Proverbium erat Χαίρις ἄδων ὄρθιον; conf. Paroemiogr. Gr. edd. Leutsch et Schn. I, p. 462: ἐπὶ τῶν εὐφώνων. ὁ γὰρ Χαίρις αὐλητῆς Θηβαῖος ἦν. Plura de Chaeride et eius schola apud Suid. s. v. Χαριδεῖς, quae enarrationem continent ad Aristoph. Acharn. v. 866: Χαριδεῖς βομβαύλιοι spectantem. De Nomo orthio locus

est inprimis luculentus apud Dion. Chrys. I, 1 supra a nobis allatus. Olympus, vetustissimus artis tibialis signifer, nomum in Minervam composuit, quem Plut. mus. 33 bis affert; verum isne orthius fuerit, necne, non satis constat, licet Olympum nomum orthium composuisse valde verisimile sit collatis Plutarchi, mus. 7 extr. verbis: Στησίχορος . . . ἐμιήσατο . . . Ὀλυμπον, χρησάμενος τῷ Ἀρματίῳ νόμῳ καὶ τῷ κατὰ δάκτυλον εἶδει, ὃ τινες ἐξ ὀρθίου νόμου φασὶν εἶναι. De eodem nomo Plato Crat. p. 418 extr. loqui videtur.

Ab nomo tibiali orthio accurate distingendus est nomus *orthius citharodicus* in Apollinem. Is inter Terpandri nomos octo recensetur; Pollux IV, 65: ἀπὸ ρυθμῶν ὀρθίος καὶ τροχαῖος. Plutarchus mus. 4 septem tantum Terpandri nomos enumerat orthio omisso. Suidas contra optime orthio Terpandri patrocinator s. v. νόμος] ὁ καθαρωδικὸς τρόπος τῆς μεσῳδίας, ἀρμονίαν ἔχων τακτὴν καὶ ρυθμὸν ὠρισμένον. ἦσαν δὲ ζ' οἱ ὑπὸ Τερπάνδρου, ὧν εἷς ὀρθίος, τετράδιος (Pollux τετραψῆδιος), ὀξύς. Similiter idem s. v. ὀρθιον νόμον. Deinde s. v. ἀμφιανακτίζειν] ἄδειν τὸν Τερπάνδρου νόμον τὸν καλούμενον ὀρθιον, ὃ αὐτῷ προοίμιον ταύτην τὴν ἀρχὴν εἶχεν' ἀμφὶ μοι αὐτε ἀναχθ' ἑκαταβόλον || ἀειδέτω φρήν [cf. Bergk, Poet. Lyr. Gr. III⁴, p. 9 et Schol. Aristoph. Nubb. 595]. ἐστὶ δὲ ἐν Εὐνείδαις καὶ ἐν Ἀναγύρω. Eunidae (Εὐνείδαι, conf. Harpocr. et Hesych. s. v.) nomen est gentis Atticae, in qua ars musica et orchestica in usu sacrorum hereditaria disciplina propagabatur. Harpocr.: ἦσαν δὲ καθαρωδοὶ πρὸς τὰς ἱερουργίας παρέχοντες χρεῖαν. Cratinus teste Athenaeo XV, p. 698^b comoediam, cui nomen erat Εὐνείδαι, scripserat, cuius argumentum, ut ingeniose suspicatur Bergkianus, de Reliq. com. Att. ant. p. 72 init., ars musica erat ab novae disciplinae sectatoribus corrupta et a vetere gravitate ad lenocinia deducta. De nomo igitur orthio citharodico unum maxime constat: eius rhythmos fuisse magnificos, graves et plenos stimulorum, quibus ad virtutem mortales excitarentur. De hac eius nomi natura pulchre disseruit Sopater Apameensis Neo-Platonius apud Io. Stob. Floril. 44, 51, vol. II, p. 222 ed. Meineke: τῷ μὲν γε τὸν λόγον διατιθεμένῳ χαλεπὸν οὐδὲν ἐκ τῶν ἀκρων παραρρελυάτων τὸν ὀρθιον τῆς ἀρετῆς ἄδειν νόμον.

16. Nomi citharodici, utpote vetustioris, compositionis norma specimini fuit nomo aulatico. Progressu temporum in nomi aulatici partibus denominandis numerorum, quibus conceptae essent, genera valuerunt.

Iam igitur ut summam eorum, quae disputavimus, colligamus, duo nomi orthii distinguendi sunt: orthius auleticus et citharodicus. Quaeritur uter vetustior sit, uter utrius quasi exemplar, cuius lineamenta alter imitatus sit, fuerit. Historiam artis musicae contemplantibus dubium non erit, quin nomi citharodici antiquiores sint. Nomorum Apollineorum memoria ex urbe Cretica Tarrha tanquam a fonte manat, in qua Carmanoris filius, Chrysothemis vates primus nomum ad citharam, ac solus quidem, cantavit. Pausanias de Carmanore X, 16, 5: συγγενέσθαι . . . τῇ Ἀκακιλλίδι Ἀπόλλωνα ἐν πόλει Τάρρῃ καὶ οἴκῳ Καρμάνωρος; et X, 7, 2. Χρυσόθεμις ἐκ Κρήτης, οὗ δὴ ὁ πατὴρ λέγεται Καρμάνωρ καθῆραι Ἀπόλλωνα. De nomis a Chrysothemide inventis Proclus in Chrestomathia, Script. Metrici Graeci ed. Westphal, vol. I, Lips. 1886, p. 245 edocet: Χρυσόθευς ὁ Κρής πρῶτος

στολή χρησάμενος έκπρεπεί καὶ κιθάραν ἀναλαβὼν ἐς μίμησιν τοῦ Ἀπόλλωνος, μόνος (h. e. sine choro) ἦσε νόμον. Chrysothemis deinde Delphis in agone musico nomo cantato vicit atque post eum Philammon, deinde Thamyras; Paus. X, 7, 2: ἦσε καὶ ἐνίκησεν ἄδων Χρυσόθεμις ἐκ Κρήτης . . . Χρυσοθέμιδος δὲ ὕστερον Φιλάμμωνα τε ὑδῆ μνημονεύουσι νικήσαι, καὶ ἐπ' ἐκείνῳ Θάμυριν τὸν Φιλάμμωνος. Cum igitur nomorum citharodicorum ars vetustior apud Graecos sit, quam auleticorum, necessario sequitur, in dispositionis et compositionis universa ratione normam citharodicorum pro fundamento et regula universae poesi nomicae fuisse. Iam unum certissime constat: umbilicum (ὄμφαλόν) antiquissimam et potissimam nomorum partem fuisse. Mesodica compositio ea est, in qua maxime poesis nomicae vis et natura conspicitur. Suidas s. v. νόμος] ὁ κιθαρωδικὸς τρόπος τῆς μεσῳδίας. Circa umbilicum archa et sphragis, ut in corpore membra, apte et συμμετρως sitae sunt. Nomos igitur auleticos statim ab initio eandem compositionis legem secutos esse verisimillimum est, ut circa umbilicum semper partes et ad praeparandum et ad concludendum aptae circumfunderentur, quibus haud dubie eius artis initio eadem nomina, quae in citharodico nomo sollemnia fuerunt, archa et sphragis, indita sunt. Postea sane temporum progressu ille potius mos invaluit, ut ex numerorum et rhythmorum, quibus decurrerent, natura nomorum partes denominarentur, quod luculento nomi Pythici exemplo illustratur.

17. De poesis et musices aulodicae natura et proprietate. Tibiae cum elegis lugubribus arctam necessitudinem intercedere.

Nomorum structuram regnantem vidimus in arte citharodica et auletica. Iam tertium accedit genus, Graecis maxime dilectum, *aulodicum*, in quo cum tibiae modis vox humana pulcherrima harmonia consociatur. Huius musices vetustissimus auctor Clonas, Terpandri aequalis paullo minor natu, perhibetur, quem Arcades Tegeatam, Boeoti Thebanum origine fuisse adseverabant; Plut. mus. 5: Κλονᾶς δὲ ὁ τῶν αὐλωδικῶν νόμων ποιητῆς ὁ ὀλίγῳ ὕστερον Τερπάνδρου γενόμενος, ὡς μὲν Ἄρκαδες λέγουσι, Τεγεάτης ἦν, ὡς δὲ Βοιωτοὶ, Θηβαῖος. Multiplicia eius tam in re musica, quam in poesi merita Heraclides apud Plutarchum celebrat, mus. 3 extr. ὁμοίως δὲ Τερπάνδρῳ Κλονᾶν τὸν πρῶτον συστησάμενον τοὺς αὐλωδικούς νόμους καὶ προσόδια ἐλεγείων τε καὶ ἐπῶν ποιητὴν γεγονέναι. Ac tibia quidem iam antiquissimis temporibus foedus quasi iniit cum eo potissimum poesis genere, quo sortis humanae fragilitas et inconstantia, quo ipsius naturae rerum caducus omnino et immaturo tempore exarescens flos caneretur. Etenim poesis elegiacae haec ab initio natura fuit, quae ipso iam rhythmorum genere in catalexi abrupto et introrsus quasi presso indicatur, ut animum non tam laete vitae donis fruentem, quam de amissa et erepta felicitate querentem et lugentem profiteretur. Atque haec eadem est vetustissima aulodicae artis species. De illo tibiarum cum elegis ab initio foedere luculentus est Plutarchi locus de mus. 8: ἐν ἀρχῇ γὰρ ἐλεγεία μεμελοποιημένα οἱ αὐλωδοὶ ἤδον. τοῦτο δὲ δηλοῖ ἡ τῶν Παναθηναίων γραφή ἢ περὶ τοῦ μουσικοῦ ἁγῶνος. Ad threnos igitur et epicedia potissimum tibia lugubris se applicuit; Schol. Aristoph. Avv. 217: τοῖς σοῖς ἐλέγοις] Δίδυμος δὲ φησιν, ὅτι οἱ πρὸς αὐλὸν ἀδόμενοι (sc. ἔλεγχοι) θρήνοι. conf Procl. Chrestom. ed. Westph. p. 242,

12. Et haec quidem eius artis threnetica imprimis vis in caussa fuit, ut in ludis Delphicis cum in prima Pythiade aulodia in ordinem certaminum sollempnium recepta et praemium quoque victori Echembroto Arcadi concessum esset, proximo iam anno Amphictyones mutato consilio hoc genus ut luctuosum et a communi laetitia alienum e ludorum et certaminum canone removerent; Paus. X, 7, 5: καὶ αὐλωδίαν τε κατέλυσαν, καταγνόντες οὐκ εἶναι τὸ ἄκουσμα εὐφημον· ἢ γὰρ αὐλωδία μέλη τε ἦν αὐλῶν τὰ σκυθρωπότετα καὶ ἐλεγεῖα [καὶ θρῆνοι, quod exprungit Schubartius] προσαδόμενα τοῖς αὐλοῖς. Olympi quoque Phrygis circumferebantur carmina, numeris elegiacis composita, cum accinentis tibiae modis; eorum ut antiquissimorum in hoc genere speciminum admodum lugubris erat species. Iocantur duo servi apud Aristophanem Equit. 10: Ξυναλίαν κλαύσωμεν Οὐλύμπου νόμον, ubi scholiasta: Ξυναλία καλεῖται ὅταν δύο αὐληταὶ τὸ αὐτὸ λέγῳσιν. ὁ δὲ Ὀλυμπος μουσικὸς ἦν, Μαρσούου μαθητής. ἔγραψε δὲ αὐλητικὸς καὶ θρηνητικὸς νόμος, ubi ἔγραψε haud dubie documento est, carmina quoque, non musicos tantum modos Olympo adscriptos extitisse.

18. Antiquos nomos aulodicos litterarum naufragio deperditos aliquatenus nobis restitui Romanorum elegiae poetarum carminibus ad illorum imitationem elaboratis.

Nomorum vetustissimorum aulodidorum nomina servavit Plutarchus mus. 4: οἱ δὲ νόμοι οἱ κατὰ τούτους . . . αὐλωδικοὶ ἦσαν· Ἀπόθετος, Ἐλεγοὶ (conf. Hiller, Mus. Rhen. 31, p. 85), Κωμάρχιος, Σχοινίων, Κηπίων, Ἐπικήδειος (conf. Westphal, Gesch. der alt. und mittelalt. Mus. Vratisl. 1864, p. 98) καὶ Τριμελής. conf. Pollux IV, 65. Eos nomos mesodicam formam habuisse certissimum est. Pars media, umbilicum quasi constituens, cincta erat ab utroque latere partibus argumento sibi respondentibus. Fluctus in umbilico pleno alveo tumentes in partibus omphalum praegressis paullatim incrementales conspiciebantur, in posterioribus periodis decredebant rursus et sedabantur. Eorum eximia artis operum cum locupletissima olim copia, pro dolor, luctuosa temporum iniuria omnis nobis crepta sit, aliquo fortasse solatio Romanorum poetarum elegiacorum in imitando diligentia esse potest, qua illam nomorum aulodidorum formam et normam suis interdum carminibus expresserunt. De hac re multi iam dixerunt. Itaque nunc uno fortasse exemplo inspecto melius, quam longis ambagibus huius artis summa illustrari poterit. Propertii carmen III, 15 Hertzsb., IV, 15 Lachm. universa compositione sua nomus est cum cura et studio haud dubie elaboratus. Umbilicus v. 11—42 narrationem de Antiopae et Dircae fatibus continet eximia arte et magno dictionis splendore compositam; versus deinde 1—10 archam constituunt, qua de suis amoribus poeta loquitur; de fide, quam intemeratam et inconcussam omni tempore dominae servaturus sit. Haud magis illi de Lycinna caussam esse timendi et arguendi, quam Dircae, Lyci uxori, in Antiopa culpanda fuerit. In fine carminis, vel si iam ad nomorum analogiam dicendum sit, in sphragide, ad eandem, unde in archa digressus erat, sententiam poeta redit, v. 43—46: *at tu non meritam parcas vexare Lycinam: || nescit vestra ruens ira referre pedem. Fabula nulla tuas de nobis concitet aures: || te solam et lignis funeris ustus amem.*

Sed e Musarum palaestra ad maius nunc et augustius officium anno vertente vocamur. Appropinquat enim dies laetissimus faustissimusque, quo Deus Optimus Maximus populis Germaniae summam quondam salutem prospexit, quo die patriae pater IMPERATOR GERMANICVS GLORIOSISSIMVS REX NOSTER CLEMENTISSIMVS GVILELMVS ante haec novem decennia condita lucem adspexit. Hunc diem cum universa patria universitas quoque nostra grata erga supremum numen pietate concelebrabit. Publicae autem gratulationis et communium votorum interpretes existet vir illustrissimus IVERGEN BONA MEYER, RECTOR UNIVERSITATIS MAGNIFICVS. Eius ut orationi ceterisque sollemnibus prompto lubentique animo intersint, ipsius inlustrisque senatus nomine curatorem universitatis egregium, professores amplissimos, doctores clarissimos, commilitones ornatissimos, magistratus regio imperatorios urbicos spectatissimos et quicumque rebus nostris ac litterarum studiis bene volunt, qua par est observantia rogamus invitamus.

Author Lü, Erl, Erp
 Title Lü, Erl, Erp
 DATE
 NAME OF BORROWER

648
 .YL

**University of Toronto
 Library**

**DO NOT
 REMOVE
 THE
 CARD
 FROM
 THIS
 POCKET**

Acme Library Card Pocket
 LOWE-MARTIN CO. LIMITED

